

frater Iacobus de Milly, Dei gratia sacre domus hospitalis sancti Iohannis Iherusalimitani magister ac pauperum Ihesu Christi custos, cum in omnibus et singulis prioratibus et castellania Emposte dicte domus nostre per universum orbem constitutis et existentibus nos pro magistrali mensa unam preceptoriam cameram magistralem nuncupatam habere dignoscamur, de quibus quidem cameris magistralibus pensiones annuales pro nostra sustentatione recipimus, quas pariformiter nostri antecessores habuere et similiter nostri quoque successores obtinebunt. Animadvertentes igitur nonnullos esse prioratus oppulentissimos in partibus Alamanie, in quibus cameram magistralem non obtinemus nec habemus, volentes itaque ius nostrum habere, confidentes de fide, probitate curaque et diligentia religiosi in Christo nobis precarissimi fratris Iohannis de Sachszenheim, domorum seu preceptoriarum nostrarum Erlingen etcetera prioratus nostri Alamanie preceptoris, citra tamen revocationem aliorum nostrorum procuratorum in diversis mundi partibus per nos constitutorum et ordinatorum eundem fratrem Iohannem presentem et onus huiusmodi procurationis in se sponte suscipientem tenore presentium ex nostra certa scientia et omni meliori via, modo et forma, quibus melius et validius facere possumus et debemus, nostrum procuratorem, actorem, factorem negotiorumque nostrorum gestorem ac nuncium nostrum specialem et generalem, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget vel econtra, videlicet specialiter et expresse in prioratibus nostris Bohemie, Vngarie et Dacie ad investigandum et inquirendum de cameris nostris magistralibus et, si in ipsis prioratibus cameras magistrales habeamus, si vero reperierit nobis cameras magistrales in dictis prioratibus minime esse assignatas, ad petendum, querendum et nomine nostro obtinendum omnibus illis viis, modis et formis sibi bene visis aliquas preceptorias in dictis prioratibus pro nostris cameris magistralibus et ipsis preceptoriiis habitis et obtentis ad imponendum et taxandum super eis pensiones annuales sibi bene visas anno quolibet nobis solvendas per possessores earundem et super hiis faciendum litteras, instrumenta et scripturas autenticas et vallidas per notarium seu notarios publicos clausulis necessariis roboratas et pro supra- et infrascriptis ad sese presentandum et comparendum nomine nostro semel vel pluries coram imperatoria maiestate et aliis principibus et dominis, in quorum dicionibus dicti nostri prioratus situantur, ab eis quoque requirendum et petendum nomine nostro, ut, sicuti in ceteris mundi partibus cameras magistrales obtinemus, in dictis prioratibus aliquas preceptorias pro nobis assignare dignetur, et obtinendum ab eis et quolibet eorundem litteras autenticas concessionis et assignati-